

PROLEGOMENA.

Quam sit autem utilis, ex contrarij vituperatione docet Crates, cum dicit:

Ὅστις μὴ χαρὸς κρατῆρ ἰπλισίαι,
ὄντ' ὅτ' ἀ πλάσι τ' κακῶν ἔχῃ κακά.

Quicumq; venci imperare nescit,
Hic plura mala malis coaceruat.

Hinc est quod tam Satyricè in *Luxuriam* Poëtæ nostri, Lucanus, Iuuenalis, Staius, Horatius & alij penè omnes inuehantur. Pereant ergo quantumuis crassi illi & verbosi tot Philosophorū Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum cōmentarij: vnica Philosophia Poëtica nobis ad temperantem vitam sufficit. Succedit LIBERALITAS, & Magnificentia: quæ duo cum de vno tantū habitu intelligantur, tamen subiecta materia differunt, quod illa in parua vel mediocri, hæc in magna diuitiarum possèssione versatur. Iam si multum interest Reip. nequis re sua malè vtatur, quis dubitat quin Politici homines hac virtute maximè instructi esse debeant, vt ritè bona sua administrent, nequid inde & ipsis & Reipub. damni importari possit? Videamus ergo vt hunc habitum doceat quoq; Poëtica. Sed quia antequam vllus illum exercere possit opib. eum affluere oportet, videndum est primùm, vt eas acquirat. Cum autè Modus rerū omniū sit optimus, hunc in diuitiarū acquisitione obseruari iubent Poëtæ. Audite enim Menandrum:

κρηττόν γάρ ἐστι, ἂν σκοπῆ τις κατὰ λόγον
μὴ ποτ' ἀηδέως, ὀλίγα δ' ἰδίως ἔχειν
πενίαν τ' ἄλυπον μάλλον ἢ πλοῦτον πικρόν.

Satius est si quis consideret, vt par est
Non multa iniucundè, sed pauca iucundè possidere
Et paupertatem sine molestijs potiùs quàm diuitias acerbas.

Volunt etiam iuste comparari. Vt Phocylides:

μὴ πλοῦτον ἀδίκως, ἀλλ' ἰξ' ὀσίων βιωσάμενον,
ἀδίκως δ' μὴ πῶς χεῖματ' ἢν βλάη πολεῖν
χρόνον μιλιάθροισ ἡμυφῶν τὰ δ' ἀδίκως,
ὄϊκετ' ἰσχυροῦσ' ὅκ' ἔχῃ σωτηρία.

Ne ditescas iniuste, sed ex iuste partu viuere. Sic Euripides:
Ne comparato per nefas vllas opes
Has si manere vis in ædibus diu.
Nam per nefas qua sita salua non manent.

Volunt etiam honestè acquiri: vt Hesiodus:

μὴ κακὰ κερδέων ἐκ κακῶν κέρδη ἔχειν ἄτρεστοι,
καλῶς ἀφ' ὧν μάλλον ἢ πλοῦτον κακῶς,
τὸ μὲν γὰρ ἔλαον, τὸ δ' ἰσχυρῶσιν φέρει.

Turpia lucra fuge, nam sunt æqualia damnis. Et Antiphane:
Potius est honestè pauperem esse, quàm diuitem malè,
Illud enim misericordiam, hoc reprehensionem meretur.

Acquisitas diuitias præterea studiosè conseruari volunt, vnde illud Nafonis:

Non minor est virtus, quàm querere, parua tueri.
Qui homo mature quæsiuit pecuniam,

Et illud Plautinum perelegans:
Nisi eam mature parsi, mature esurit.

& alia huiusmodi quæ de industria prætermitto. Docent etiam rationem bene & frugaliter illis vtendi, quod in præcedenti virtute aliquantulum attingebamus: sed peculiariter sub titulo Temperantiæ, nunc generaliùs loquimur de Parsimonia, cuius aurea sunt in Poëtis præcepta. Inuidiosa vetustas Cratetis hymnum in Frugalitatem nobis abstulit, sed eius fragmentum extat satis luculentum in illis verbis apud Iulianum Imperat.

χαῖρε Θεὰ Διόποινα ἑσθῶν ἀνδρῶν ἀγαθήματα
ὀνυλία κατ' ἔργον σωφροσύνη.

Salve Dea domina, sapientibus viris amica
Frugalitas, inclute filia Temperantia.

Deam quidem appellat, quod duriusculum teretibus Christianorū auribus videbitur, sed hoc in Ethnico facile tolerari antea satis disputauimus. Vt sit, elegans illud ἐνυλία encomiū satis docet, rem tam præstantem serio esse cuius amplectendam. Adde Euripidem qui ὀνυλία ἑσθῶν τὴν κατ' αἰσίων βουλομένων ἀδελόκων sapientium & optimorum consiliorum magistratam appellat. Flaccus verè aureè illam *Mediocritem aureà* vocat. Sed hæc eum tantum, qui bona possidet & ijs vtitur: Liberalitas autem & Magnificentia alios spectat: illa propriè muneraria, hæc sumptuaria impresentiarum dicatur. Et quomodo, & erga quos, exercendæ sint, nulli meliùs quàm Poëtæ perdocent. Illud Phocylidis,

μηδὲ ποτ' ἔχῃσιν πικρὸς ἦν ἀνδρ' ἰσχυροῦσιν,
ὄντ' ὅτ' ἂν ἀγαστὸς ἀνδρῶσιν διδῶσιν,

Nunquam creditor acerbus sis viro pauperi.
Petentibus viris bonis dato: nonne probè monet habendam

Illud, inquam, quæso quàm est humanitatis Christianæ plenum? Quid verò illud Theognidis: esse eorum rationem in quos liberalis ac munificus esse volueris? Et hoc præceptum maximi omnino est momenti, & quod vnicum in tota ista doctrina, quam quærimus, sufficere posse videatur. Sed pergamus. Idè Phocylides quo spiritu nisi pio loquutus vobis censetur, cum dicit:

πλοῦτον ἔχειν, οὐδὲ γὰρ ἀπὸ πλούτου ἔρχεται
ἂν ὅτι ἰδῶν Θεὸς, τότ' ἔχῃσιν παρ' ἄστρον.

Si diuitias possides, tuam manum pauperib. porrige
Quæ dedit tibi Deus, de his egentibus prabe.

O vocem non Milesto, sed Christiano Philosopho dignissimam! Et vos in damnanda Poëtica pergitis, quæ tā piogerit spiritus? Et vos tandem aliquando tantæ impudentiæ non pudebit? Iam eadem in amicos eandem munificentiam (quod penè oblitus eram) exhiberi vult, atq; adeo eam immortalem esse prædicat: idq; vel solus Martialis (non tantæ alioqui apud me autoritatis ac pleriq; alij)

Extra fortunam est quicquid donatur amicis,

Quas dederis, solas semper habebis opes.

Hæc partem copiosissimè Seneca Philosophus in libris de Beneficijs persequitur. Sed quorsum tot verbis opus est in ijs, quæ breuiore orationis gyro satis superq; complecti potes? Nolunt Poëtæ illa verborum mole studiosorum virtutis hominum ingenia obrui, vt pote quam in ipsa actione potissimum versari intelligant. Non ergo de virtutibus phaleras illas declamatorias instituunt, sed paucis illa officij, vel, vt cum Panætio loquaris, ἡ καθήκοντα præcepta perstringunt. Alios ornatus compta satis per se virtus non postulat, & quam nudam sese tibi exhibentem non amplecteris, ea quoq; ratione vestitam omnino repudiabis. Hoc ergo magis in Poëtis nostris mireris qui nudam illam, simplicem & Laonicam docendi viam insistant, cum tamen nihil prætermittant quod ad honestè ac probè viuendum conducibile esse possit. Sed ad rem. Illa liberalitatis præcepta fordes auaritiæ satis videntur detegere, si eadè est, vt est, virtutis & vitiorum doctrinæ ratio, sed & speciatim illas quoq; optimè persequitur Poëtica, dum eam damnat & ab ea homines deterret, quæ si huc omnia congerere voluero, quando me peroraturum existimatis? sed per transfennam audite paucula:

Ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητ' ἀπάσθῃ,

Auaritia mater est vniuersa nequitia, inquit Phocylides. Apol-

iodorus quoq; φιλαργυρία τὸ λευκάσιον τ' κακῶν caput malorum, & Claudianus primā matrem scelerum appellant. Quæ ad deterrandos ab hoc vitio homines planè sufficiunt, & si plura pluribus locis apud Poëtæ obseruari possint, quæ in teterrimā istā generis humani labè nō minùs animosè, quàm verè iactant. Videte, quæso, quales nos fructus ex Poëtica decerpimus, & lubenter vobiscum communicamus, vt quos hæctenus negligentia & maleuolètia vestra fastidistis, iam diligentia & beneuolentia nostra illos aliquantulum degustetis, qui si vobis non sapiant, vitioso palato & stomacho omnino vos pronuncio. Pergamus ad MAGNANIMITATEM. Hæc virtus circa honorem & gloriam versa-

versa-